

tis pro se quisque fremere, *Deploratam esse rem Venetam*, deploratamque libertatem tanta indole a majoribus quæsitam, nisi tribunitio furori finis quandoque imponeretur: discessisse olim majores suos dulcedine libertatis ex amœuſſimo solo, relictæ patria, domo, laribus, atque ~~multis~~ quæ solent hominibus esse charissima, venisseque in *desertas insulas*, in quibus nihil conspiceretur, quod cui cultum invitare posset: licuisse tamen illis, si libertatis obliuisci potuissent, incolumes urbes in quibus nati & educati essent, retinere, atque hac una amissa superbissimo barbaro ociose servire: verum quia viri fortissimi fuerunt, illam ipsam nisi cum morte relinquendam non putarunt. Quid quod multi etiam eorum qui adessent, majorum vestigia secuti, superioribus annis in ea loca venissent, ut liberi viverent? Quid igitur illorum consilia? quid subitæ migrationes profuissent? quid ædificia, templa, aedes publicæ privatæque? quid illud, quod ex continenti servitutis metu decessissent, si insolentia paucorum mediis aquis essent servituri? An crederet quisquam, barbarum hostem ante quieturum, quam si per occasionem liceret, vicinum illud libertatis everteret domicilium, qua nihil magis esse soleat tyranno odiosum? Id sane eum optare: id esse ei cordi, ut quod alia via efficere non possit, civili discordia rem Venetam solveret. Irent igitur, & qui reipublicæ consultum vellent, novum Duxem continuo crearent, penes quem decus omne imperii ac majestas esset: cui jus concilium cogendi, quotiens de republica aliquid referri oporteret: qui tribunos annuos in singulas insulas legeret, a quibus ad Duxem esse provocatio. Cæterum si quis dignitatem, ecclesiam, sacerdotiumve cleri populi suffragio esset adeptus, ita demum id ratum habebetur, si Dux ipse auctor factus esset. His decretis, communi omnium consensu Paulutius Heraclianus, vir inclytæ inter suos populares justitiæ, Dux declaratus est, anno, ut quidam tradunt, ab Urbe condita octogesimo secundo ac ducentesimo: ut alii, supra ducentesimum septimo ac nonagesimo: ut item alii, septuagesimo sexto. Illud certè convenit, ducentos triginta & amplius annos remp. tribunitia potestate administratam. Sed in primo Duce creando haud hæc suffragandi ratio inita est, quam hodie in Principum electione fervari vide-

mus,

Paulutius
Anafestus
primus Dux
creatus.

XVI 2030

257